



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Explanatio In Psalmos

Complectens primos 25. Psalmos

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Dusseldorpii, [1761]

VD18 15558428-001

Psalmus VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



est, quæ justos, & Dei filios facit. Gloriantur autem, quia *Tu benedices justo*, h. e. benefacies, reddendo coronam gloriæ, quam meretur. Et quia Vocatio, justificatio, merita bona, & ipsa glorificatio procedat ex benevolentia Dei, concludit: *Domine, ut scuto &c.* h. e. Confiteor tibi, Domine, omnia nostra bona indè manare, quia beneplacitum tuum, sive gratia tua nos complexa est, & undique protexit, ut scutum protegere solet milites.

PSALMUS VI.

Titulus: *In finem in hymnis pro octava, Psalmus David*, Hebræus legit: *Super octavam*: Sic videtur intelligi genus citharæ, habentis octo chordas, quæ Psalmi cani solebant. Vide 1. Paralip. c. 15. Per *Octavam* communius intelligitur dies ultima judicii, sequens post dies sex laboriosos hujus vitæ, & post septimam quietis animarum.

Argumentum: *Oratio peccatoris, timantis Divinum judicium, & ad reconciliationem aspirantis.* Psalmus hic est primus inter Pœnitentiales ab Ecclesiâ numeratus.



Y. 1. *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

Petitio est hæc vere pœnitentis, & contriti, qui super omnia peccatum odit. Nam Deus tunc arguit, sive accusat, corripit in furore, irâ, quando ita castigat peccatorem, Zelo justitiæ, ut eum perdat, hîc percutiendo cæcitate, obstinatione, ut peccatum sit pœna peccati, postea damnando.

Y. 2. *Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.*

Quinque argumentis conatur Deum permovere, ne in furore arguat. Primum: *Quoniam infirmus sum*: considera peccata, Domine, non ut tuas offensas, sed ut meas miserias, & ægritudines animi; proinde non punias, ut iudex; sed sana, ut medicus. *Conturbata sunt ossa*, h. e. fortitudo nutat, & robur frangitur, ac debilitatur.

Y. 3. *Et anima mea turbata est valde, sed tu Domine usquequo?*

Secundum argumentum à Cognitione proprii peccati. Non solum miser sum,



sum, sed etiam miseriam meam agnosco; ideo anima mea se ipsam tam deformem, & miseram aspiciens, *turbata est valde*, & salubriter impatiens clamat: *Et tu Domine usquequo non misereris, non sanas?* Illud *usquequo*, sine addito verbo, emphasis est: Significat enim, prolatum esse ab animâ turbatâ, non valente integram formare sententiam.

Ps. 4. Convertere Domine, & eripe animam meam: Salvum me fac propter misericordiam tuam.

Tertium argumentum à misericordiâ Dei. *Convertere*, h. e. respice me, nam respectus Dei est causa omnium bonorum operum. *Eripe animam meam* de manibus inimicorum; *Salvum me fac*, libera ab æternâ damnatione. Nota hic ordinem nostræ justificationis. Primò convertitur Deus ad nos dando gratiam; Secundò convertimur ad Deum, & sic anima eruitur à culpâ; tertio liberati à culpâ salvamur à periculo imminentis damnationis. Hoc totum non fit per ulla nostra merita præcedentia, sed per misericordiam Dei; ideo addit *propter misericordiam tuam*.

C

Ps. 5.



✧ 5. *Quoniam non est in morte, qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?*

Quartum Argumentum à gloriâ Dei. Peto non argui in furore, quia si ita fieret, sinè dubio damnarer, & sic periret ex parte memoria, & laus tua. Dammati non recordantur Dei, ut eum laudent: nullus enim in inferno est, qui confiteatur Deo, h. e, laudet Dominum confitendo ejus beneficia, & mirabilia.

✧ 6. *Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrimis meis stratum meum rigabo.*

Quintum Argumentum à fructibus dignis pœnitentiæ: parcit enim Deus iis, qui sibi non parcunt. Dicit se non solum intelligere, & detestari peccatum, sed etiam pro viribus punire, & puni-turum. *Laboravi* &c. h. e. ita peccata mea deploravi, ut fatigatus sim; nec cesso, nam singulis noctibus ubertim peccata mea deflebo.

✧ 7. *Turbatus est à furore oculus meus,*



meus, inveteravi inter omnes inimicos meos.

Ecce fructum tot lacrimarum. *Turbatus est*, quasi caligavit oculus meus præ fletu ex indignatione, quòd tam diu in peccatis hæserim, ut inveteraverim inter omnes inimicos meos. Hostes vocat, qui eum ad peccandum impulerunt, sive Dæmones, sive homines, sive ipsa vitia, & habitus malos.

v. 8. Discedite à me omnes, qui operamini iniquitatem: quoniam exaudivit Dominus vocem fletûs mei.

Quia tam graviter ferebat, se consensuisse inter hostes, prorumpit in hanc vocem: *Discedite &c.*: nolo amplius consortium vestrum, nec acquiescam tentationibus vestris: *Quoniam exaudivit &c.* quia Dominus, misericordiâ motus ob lacrimas meas, & peccata dimisit, & virtutem auxit resistendi vobis.

v. 9. Exaudivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam suscepit.

Idem bis, terve repetit, ad significandam certitudinem exauditionis, & ut



sibi hoc modo animos adderet ad resistendum tentationibus.

v. 10. Erubescant, & conturbentur omnes inimici mei: convertantur & erubescant valde velociter.

Concludit optans finem totalem bel-
torum spiritualium. *Erubescant, & con-
turbentur*, quia in vanum laboraverunt;
convertantur in locum suum, unde vene-
runt, & *erubescant*, confusi discedant ve-
locissimè, quia nolo differre vitæ muta-
tionem; sed ex hoc momento aggredior
viam Domini rectam.

PSALMUS VII.

Titulus: *Psalmus David, quem cecinit
pro verbis Chusi, filii Jemini.* Hic
Chus probabiliter est Semei, qui 2. Reg.
C. 16. Davidi, persecutionem Absolonis
fugienti maledixit: *Egredere Vir sangui-
num, & Vir Belial &c.*

Argumentum: *contra hanc calum-
niam pessimam, & falsissimam (ut patet ex
v. 3.) orat Deum, ut defendat innocen-
tiam, & justitiam suam.* Propheticè Da-
vid gerit personam Christi, & cujuscun-
que justii, calumniam sustinentis.

v. 1.